

## M. VALERII MARTIALIS EPIGRAMMATA

### VII, 61

#### *In Caesarem Germanicum*

Passim erant mercatores in media via, ut locus vix esset per urbem ambulanti-  
bus. Domitianus vero, quem Germani-  
cum ob devictos Germanos vocat poeta, vicos laxari iussit.

Abstulerat tōtam temerārius īnstitor urbem,  
inque suō nūllum līmine līmen erat.  
Iussistī tenuēs, Germānice, crēscere vīcōs,  
et modo quae fuerat sēmita, facta via est.  
5 Nūlla catēnātīs pīla est praecincta lagoonīs,  
nec praetor mediō cōgitur īre lutō,  
stringitur in dēnsā nec caeca novācula turbā,  
occupat aut tōtās nigra popīna viās.  
Tōnsor, caupō, cōcus, lanius sua līmina servant.  
10 Nunc Rōma est, nūper magna taberna fuit.